DE SORGI▸ CAP▸ CCXCV▸

NOMINA.

PEREGRINVM est hoc genus frumenti, & ex Italia ad nos allatũ, ideoq; Germani welſchen Hirß uocant. Alij Sorgſomen / quod ſcilicet in Italia Sorgi nominetur. Neq; conſtat quo nomine ueteribus ſit appellatum, niſi farris genus ſit, quod in Gallia nunc rubrum & barbatũ frumentum nuncupant. Probè enim illi hęc nomenclatura uidetur couenire, quod nimirum eius ſpica rubra & barbata ſit. Certò tamen nihil affirmare audemus, nam Panicum etiam referre, quamuis magnitudo repugnet, uidetur.

FORMA.

Culmos habet quatuor aut quinq; altos, craſſos, geniculatos, rubicundos, foliis ueſtitos longis, latis, & in ſummitate acuminatis, harundini non diſsimilibus: ſpicã quàm Panicũ maiorẽ ac denſiorẽ, rufam & barbatã, in qua ſemen rufum, rotundũ, lentis magnitudine, & acuminatũ. Florem luteum. Radicem multis fibris capillatã.

LOCVS.

Non prouenit niſi ſatum, & nunc in multorũ hortis colitur ac plantatur, non tamen facilè emergit.

TEMPVS.

Floret Iulio & Auguſto menſibus, flore, ut diximus, luteo, nec niſi extrema ferè autumni parte ad maturitatem peruenit.

TEMPERAMENTVM.

Semen dulce eſt, & Panicum planè in guſtu refert, ideoq; temperamento ab hoc minimè differre putamus.

VIRES.

Tametſi de illius facultatibus nihil comperti habeamus, tamen quia Panicũ gu-
D ſtu refert, eaſdem illi facultates obtinere exiſtimamus, quas ſuo loco inuenies.

DE SERPENTARIIS OFFICINARVM▸ CAP. CCXCVI.

NOMINA.

officinarum erratum.

NOVO nomine ueteribus medicis Græcis & Latinis appellatæ ſint, nemo hactenus, quod ſciam, indicare potuit. Recentiores herbarij & officinę non ſine magno & intolerando errore Serpentarias uocant, non certè quod in nomenclatura tantum ſit ſitum, ſed quod forma & uiribus plurimum ab ea herba quam Græci δρακόντιον, Latini autem Dracunculũ ac Serpentariam nominant, plurimum diſcrepent, ut ſuo loco latius demonſtrabimus. Germani noſtri has herbas Naterwurtz ſua lingua appellant.

GENERA.

Duo ſunt Serpentariæ recentiorũ & officinarũ genera, forma non multum uariantes. Vnum quod leuibus admodũ foliis, & radice in ſe contorta conſtat. Hinc eſt quod herbarijs noſtri temporis Biſtorta dicatur. Nos certioris diſcriminis gratia marem fecimus, germanicéq; Naterwurtz mennle uocauimus. Alterum rugoſioribus foliis, maioriq; radice, & minus intorta, ac multum capillata uidetur. Vulgares herbarij Colubrinã nuncupant. Nos fœminã cõſtituimus, ideoq; germanicè Naterwurtz weible uocauimus. Serpentarias uerò utrunq; genus dixerunt, propterea quod ubi primum è terra prodeunt, linguæ ſerpentinæ pelle tenui ueſtitæ, formam obtinent.

Mas. Biſtorta. Fœmina. Colubrina.

FORMA.

Cauliculo conſtant tenui ac iunceo, glabreſcente, per ima tantum foliato, ſpicoſo florũ uertice, quibus dilutioris purpuræ color ineſt: folio Rumicis à terra cæſio, ſuperne

SERPENTARIA MAS
SEV BISTORTA

LEONHART FUCHS *De Historia Stirpium Commentarii Insignes* BASEL, 1542 THE WARNOCK LIBRA